



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Quænam ex Intentionibus contrarijs censenda sit sortiri
effectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

quàm extraneæ, sunt quidem vltimum complementum Intentionis Ministri, in esse intentionis absolute, non tamen ideo sunt pars formæ, ita neque verba illas condiciones exprimentia, sunt pars formæ, licet significant partem intentionis.

Dici etiam posset, illa verba, quando expresse adjiciuntur, esse quidem partem formæ, sed partem integram, non necessariam, sicut in absolutione Sacramentali secundum multos, illa verba: *a peccatis tuis*, sunt pars formæ integralis, sed non necessaria. Porro existentiam conditionis non debere per formam affirmari, patet: nam ne quidem condiciones inexistentes affirmantur adesse, alioquin Minister mentiretur, quia affirmaret se scire adesse illas, cum tamen nesciat adesse.

CONTROVERSIA IV.

Quenam ex Intentionibus contrariis censenda sit sortiri effectum.

714. Notandum 1. Intentiones dupliciter posse contrarias inter se esse, vel explicitè vel implicitè. Explicitè certum est non posse simul & pro eodem instanti stare intentiones contrarias, quia hoc aliud non esset, quàm simul & semel idem secundum idem expresse efficaciter velle & nolle, quod est tam impossibile, quàm idem simul expresse affirmare & negare. Implicitè dicuntur intentiones tunc esse contrariæ, quando quis per errorem existimans duo prædicata esse separabilia, vult obtinere vnum, & alterum non vult, sed potius vult negationem illius.

Notandum 2. Errorem circa illa prædicata posse iterum dupliciter se habere: aliquando enim potest quis per errorem judicare, illa prædicata esse inconiungibilia, quæ tamen defacto semper & necessariò coniunguntur: aliquando potest quis per errorem judicare, esse quidem illa prædicata coniungibilia, posse tamen ex intentione Ministri aut celebrantis contractum ab invicem separari. Exempla prioris sunt hæc. Hæreticus iudicans consecrationem Eucharistiæ nec esse, nec posse esse sacrificium, vult consecrare Eucharistiæ, sed non vult facere sacrificium, eò quod putet hoc sibi esse impossibile: item vult conferre Baptismum, non tamen conferre Gratiam aut Characterem, quia putat hæc non posse conferri, & Romanam Ecclesiam errare, existimando posse conferri. Exempla posterioris esse possunt primò. Aliquis per errorem putat posse conferri absolutionem de præsentì, & suspendi ejus effectum, sc. gratiam, vult absolvere de præsentì, non verò conferre gratiam: item, existimans posse contra actum Matrimonij inter Christianos fieri sine Sacramento, vult facere Contractum, sed non vult facere Sacramentum. Item Abissi-

nus Schismaticus existimans Matrimonium posse in certis casibus dissolvi, vult contrahere Matrimonium etiam ut Sacramentum, sed dissolubile.

Notandum 3. Contrarias intentiones aliquando existere simul in tempore, ut in allatis exemplis, aliquando successivè, & pro tempore diverso, v. g. Petrus habet hodie intentionem offerendi crastinum Sacrum pro Paulo, verum cras immemor hujus intentionis offert pro Joanne, quæritur, quis horum duorum consequatur fructum sacrificij.

715. In præsentì nihil agimus de his intentionibus successivis & contrariis, quia in Sacramentorum administratione semper obtinet effectum secunda intentio, quæ tunc est quando actu administratur Sacramentum, hæc enim est à qua denominantur actiones fieri nomine Christi, non obstante voluntate contrariâ præcedente. Itaque hujusmodi intentiones successivè contrariæ specialem difficultatem habent in alijs dispositionibus, præsertim in Testamentis, quam tractabo in opere de Justitia.

716. Dicendum nunc est, & pro Regula statuendum. Illa intentio ex contrariis implicitis prævalet, quæ appetitivè major est, hoc est, quæ magis vult objectum suum, illudque simpliciter & absolute alteri præfert. Vel sic. Illa intentio prævalet, quæ respectu alterius est absoluta, e contra altera respectu hujus est solum conditionata. Declaratur Regula in exemplis supra positis. Hæreticus vult baptizare, sed non vult conferre gratiam, eò quod putet hunc effectum non causari per Baptismum: si ergo Minister ille ita constitutus sit, ut si sciret, ad hunc effectum causandum esse institutum Baptismum, adhuc baptizaret, intentio Baptismi prævalet intentioni non conferendi Gratiam, quia appetitivè magis vult suum objectum, vultque illud absolute; Nolito verò conferendi gratiam vult suum objectum vel potius illud non vult tantum sub conditione, si baptismus non est ad gratiam conferendam institutus, quæ conditio deficit: & ita quidem de hæreticis præsumit Ecclesia.

Item, aliquis existimans, posse à contractu Matrimonij inter Christianos separari rationem Sacramenti, vult facere Contractum Matrimonij, sed non Sacramentum: ut talis deprehendat, vtrum primaria intentio fuerit sufficiens ad faciendum Matrimonium vnà cum Sacramento, vel an potius habuerit intentionem alligatam conditioni impossibili, debet se reflectere, an voluerit Contractum Matrimonij absolute, Sacramentum autem voluerit excludere conditionatè, si possit separari, & tunc valebit Matrimonium, & erit simul Sacramentum, quia malebat habere Matrimonium cum Sacramento, quàm vtroque carere. Si verò se contrario modo haberet, Matrimonium judicandum esset nullum,